Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

In habundancia sepulchrum sic infertur acervus in tempore suo. Ecce hoc ut investigavimus ita est. Quod auditum mente pertracta. Capitulum sextum.

Respondens autem Job dixit: Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui et calamitas quam patior in statera. Quasi harena maris hec gravior appareret. Unde et verba mea dolore sunt plena quia sagitte domini in me sunt quarum indignacio ebibit spiritum meum et terrores domini militant contra me. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam aut mugiet bos cum ante presepe plenum steterit. Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem. Anime enim esurienti eciam amara dulcia esse videntur. Que prius tangere nolebat anima mea nunc pre angustia cibi mei sunt. Quis det ut veniat peticio mea et quod expecto tribuat michi deus et qui cepit ipse me conterat solvat manum suam et succidat me et hec michi sit consolacio ut affligens me dolore non parcat nec contradicam sermonibus sancti. Que est enim fortitudo mea ut sustineam aut quis finis meus ut patienter agam. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea nec caro mea enea est. Ecce non est auxilium michi in me et necessarii quoque mei recesserunt a me. Qui tollit ab amico suo misericordiam timorem domini derelinquit. Fratres mei preterierunt me sicut torrens qui raptim transit in convallibus. Qui timent pruinam irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati peribunt et ut incaluerit solventur de loco suo. Involute sunt semite gressuum eorum ambulabunt in vacuum et peribunt. Considerate semitas theman itinera saba et expectate paulisper. Confusi sunt quia speravi. Venerunt quoque usque ad me et pudore cooperti sunt. Nunc venistis et modo videntes plagam meam et timetis. Nunquid dixi afferte michi et de substancia vestra donate michi vel liberate me de manu hostis et de manu robustorum eruite me. Docete me et ego tacebo et si quid forte ignoravi instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis cum e vobis nullus sit qui possit arguere me. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis et subvertere nitimini amicum vestrum. Verumtamen quod cepistis explete prebete aurem et videte an menciar. Respondete obsecro absque contencione et loquentes id quod iustum est iudicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem nec in faucibus meis stulticia personabit. Capitulum VII.